

tem expultricem irritare, quo excrementa g, diu- g *Aegin.lib.*
 tius in intestino retenta, expellat: tamen iis vti- *I. c. 45.*
 mur quoque in variis casibus, vt, quando ægrotus *Oribas. 5.*
 imbecillis h est, qui multo facilius suppositorium, *syn. 20.*
 quam clysterem admittit. Quare Hippocr. i vbi *h Aet. tetr.*
 cibus assumptus non descendit, & æger imbecillis *I. ser. 3. c. 160.*
 est, glandem præscribit. Dein etsi vires clyisma ad- *i Sect. 1. de*
 mittant; sæpe tamen feces induratae, glandem ne- *ratione vict.*
 cessariam indicant, vt aluo stimulata ad excretio- *in acut.*
 nem proritentur, quo via sit clysteri. Tum, quan-
 do vnus vel duo clysteres iniecti per aluum non
 redeunt, quod in colicis sæpe vsuuenit, & alios cly-
 steres indere periculosum, tum glans, sed effica-
 cior, requiritur. Quemadmodum etiam, si medi-
 camenta assumpta in operatione tarda sunt. 4. Quan-
 do ætas vel consuetudo clysteres non sustinet, vt
 pueris, dum lactant, vtiliores sunt glandes. Sunt
 alii, qui quiduis potius, quam clysteres admittant.
 5. Similiter, quando à clystere aliquid mali time-
 tur, vt mulieres, dum sunt prægnantes & proximæ
 partui, vel nuperrime peperere, à clysmatibus of-
 fendi solent. Quare tunc ad glandes confugere o-
 portet. Sic reperiuntur, qui assumpto clystere, sta-
 tim post primam sedem in animi deliquium inci-
 dunt, vel etiam à clysmatibus tormina patiuntur.
 Deniq; quando à capite deriuare aut aliquo mo-
 do purgare animus est; Quare in capitis veterno-
 sis, vt & præcordiorum affectibus, recti intestini
 morbis eiusque sphincteris, paralyfi, & contra a-
 scarides in ano hærentes, iis vti consueuimus.

Genera glandium tria sunt, lenes, medio-
 cres & vehementes seu acres. Lenes vel sunt
 simpli-